


330



328

334

324

Ejectio peregrinorum de templo sancti sepulchri, et
visitatio locorum, in quibus indulgentiae habentur per
circuitum ecclesiae.

339

319

Finitis Officiis et Missis celebratis venerunt domini Mauri
pagani, et januas ecclesiae patefecerunt, facientes magnum
strepitum ad valvas, ut citius exiremus. Quo auditu territi
sumus pariter et turbati pro separatione a tam dulcibus locis,
et cucurrimus per loca, deosculantes ea; circa quae dum
moras facerent peregrini, commoti sunt Mauri, et januas
templi concusserunt fortiter, adeo quod cardines stridabant, et
horribilibus clamoribus discurrebant per loca sancta, et pere-
grinos vi ab eis repellebant, extra ecclesiam ejiciebant nos
omnes, demtis consuetis custodibus sancti sepulchri. Nobis
autem ejectis clauerunt valvas ecclesiae, et abierunt, nos in
atrio relinquentes. Ibi iterum ad visitationem quorundam
locorum sanctorum templo cohaerentium nos ordinavimus.

379

279

429

229

De loco, in quo Maria Virgo et Johannes Evangelista
stabant sub cruce Jesu, quando eos sibi invicem
commendavit.

Ende

Anfang

Primo ergo de ostio ecclesiae declinavimus ad dextrum,
et ibi ad murum templi est adscensus per gradus lapideos ad
montem Calvariae, et olim supra gradus erat ostium, per quod
introibant ad scopulum Calvariae, quod ostium jam est per
Sarracenos obstructum. Sub istis autem gradibus est ostium,
per quod est introitus in unam capellam, quae est intra septa
ecclesiae sancti sepulchri, ab intus tamen est muro circumdata,
quod nemo ab intra eam ingredi potest, quia Sarraceni etiam
ejus interius ostium obstruxerunt. Et in ista capella est locus,
in quo beatissima Virgo Maria et sanctus Johannes Evangelista
steterunt sub cruce, ad radicem scopuli Calvariae, quando eos
ambos vidit Dominus Jesus, et Johannem matri, et matrem
discipulo commendavit. In hoc sancto loco procidimus, et in
terra prostrati indulgentias accepimus (†).